

Dupl.  
5  
F. N. 3.

20  
5

De

# ANOMIA PERSARUM

Defuncto REGE permissa,  
*Consensu*

AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.

PRÆSIDENTE VIRO,  
CLARISS. Dn. MAG.

## JOHAN. BERNHARD.

MUNSTER

Philoph. Pract. & Hist. Prof. Reg.  
& Ordin.

*Pro Gradu in Philosophia*  
disputabit

## GUSTAVUS STARKER

Wiburgensis.

Die 9 Decembris, Anno 1697.

---

ABOÆ, Exc. apud Joh. WALLIUM.

SACRÆ RE  
MAGNÆ FI  
In C H R I  
Dominis Re  
**DN. JOHANNI**  
**G E Z E L I O,**  
S.S. Theologiæ DOCTORI  
Celeberrimo,  
Diœcesis Aboënsis EPISCOPO  
Eminentissimo,  
Academiæ ibidem  
**PRO-CANCELLARIO**  
PerMagnifico,  
Consist. Ecclesiastici  
**P R Æ S I D I**  
Dexterimo,  
DOMINIS, MOECENATI  
meis  
**P A C E M, F E L I C I**

• G IÆ MAJESTATIS

DEI VIRIS

S T O Patribus

c

verendissimis

D N. P E T R O

L A U R B E C C H I O,

S. S. Theologiæ DOCTORI

Præcellentissimo,

Dicæcios Wiburg. EPISCOPO

Amplissimo,

Reg: Gymn: & Schol. per Dicæc.

E P H O R O

Gravissimo,

Consist. Ecclesiastici

P R A E S I D I

Laudatissimo,

BUS ac PATRONIS

Magnis,

TATEM, ANNO\$!



iu besitabundus steti, delibe-  
rans num VEST. PATRES  
REVERENDISSIMI exiguo  
hoc munus tuo scandere li-  
ceret limina, at recuper-  
ratà statione, pavidoque animo excusso,  
quo auētor pierumque in negatiis hu-  
jusmodi frangitur, certum hoc agere ve-  
stra fretus bonitate, mihi duxi. Et  
quavis juxta sublimia Iudicia, quæ  
excellentiora quævis superant, bicce in-  
gensii mei levissimus fœtus, vestros sub-  
ire oculos ex aſſe dignus censeri nequeat,  
namen multum iniqbus, imo quavis male  
ſcœvâ dignus viderer, ſi non omni mo-  
do beneficia vestra cumulatim mihi  
præſita ſummo venerari contendere  
studio. Quid venerari dixi? imo recte:  
nam remuneratio abeat, cum meæ non  
ſit potestatis, & ejus in locum, beneficio-  
rum, quavis & hinc certo ſciam me  
bal-

balbutie claudi grata succedat memoria-  
rio. Vos enim soli auctores mibi extiti-  
fis, omnis quæ mihi contigerat fortuna,  
vobis etiam eandem post hæc in totum,  
Vestræque Paternæ euræ committo,  
qui continua prece à DEO Patre immor-  
tali Vos PATRONOS meos maximos  
mihi expetam quam diutissime incolumes,  
ut detur mibi ex summo vestro in me fa-  
vere diutissimè bene esse, atque continuo  
nominari

## REVERENDISS: PATRES

Vester humilimus cliens

GUSTAF STAC.

*Ad Virum Clarissimum*

# DN. GUSTAVUM STACCI

Candidatum Philos: ob vividum inge-  
nium, multarum rerum sollertia-  
& vitam rectissimè moratam commen-  
datissimum, Amicum optimum  
& dilectissimum.

uper Pancratium, nunc vis  
præstare Nomarcham:  
Legibus anne velis, corpore ut  
esse, teres?

Fers animum vitiis, pariter corpus  
quoque, mundum.

Sic quadratus eris, tu simus  
atque teres,

*Gratulabundus ex animo*

**CHRISTIERN ALANDER,**  
*Prof. Elog. & Fac. Phil.*  
*b.t. Decanus.*



SALVE LECTOR BENEVOLE !!!

**S**at citò, si sat benè, laute ubique proverbium sonuit: quod in me claudi etiam si nolim, cum & plurimi dentur, qui cito eque ac bene sua perficiunt negotia, tamen uerit sit, mibi cito videtur (ingenii enim tenuitatem agnosco) intra paucos dies opusculum vel tenuissimum exercare. Cito igitur mihi sat est, sed quam bene uniuscujusque considerationi permitto. Meliora qui in tanta festinatione, quanta mibi fuerat efficere potest, efficiendum integrum facio; ego vero ingenue fateor, in mea potestate hoc non fuisse, quapropter juxta ac perbrevem meam operam excusari queso, sciens eam omnibus probari non posse, sat mibi duco, si bonis non displicet. Salve & vale.

A

§I.

## DEUS NOBISCUM.

## §. I.

**D**euia reverētia, subditi, erga Magistratum suum affetti esse debent, obligatio illa, quod à DEO immediate sit datus, maxime urget. Cujus rei, etiam inter alia præclara documenta, mentionem facit Apostolus Paulus in Epist. ad Roman. Cap. XIII. v. 1. Πᾶσαι ψυχὴ ἐξεσταῖς ὑπερεχόσαις ἡστομοστοέθω. ἢ γάρ ἐστιν ἐξεσταὶ εἰ μὴ ἀπὸ Θεῶν. Hujus moniti, etiamsi Ethnici ignorabant rationem, attamen quanto, natura instigante, in præstandis Magistratui suo honoribus, sudarint opere, Historiarum monumenta abunde testantur; Quæ inter, haud exigue Anomia apud Persas antiquitus permissa elucet, qvam ulterius explanare à re abesse censeo, prius quam ipsum nomen, ζηνοδ & Latinis barbarum quid audit, ad morem in Scholis receptum, appareat.

Quan-

Quantum itaque derivationi tribuendum, dicitur Græcis ab *a priv.*  
*& ιόμῳ*, genuino igitur si sono  
 effteratur, nihil aliud est, quam non  
 lex vel vita exlex. Si autem ac-  
 ceptions scilicet *Ανομίας* varias in-  
 vestigamus, tum præter discrepan-  
 tiam à lege, quasi statutum quod-  
 dam, ut lex oblivioni traderetur  
 significat, quam acceptionem huic  
 loco convenientissimam esse mox  
 patebit. Posteriori modo Anomiam,  
 alio quamvis nomine efferti posse,  
 possibilitati non repugnet, tamen  
 quoniam nulla alia vocis ejus po-  
 sitio apud Lexicographos inveni-  
 tur, hæc nobis sufficit.

## §. II.

His itaque prælibatis, ponim-  
 mus Anomiam hanc plane fuisse  
 diversam ab ea, quæ ad forum spe-  
 ctat Theologicum, ubi *η ἀμαρτία*  
*εστιν η ἀνομία*. Hæc enim, ut trans-

A 3 gres-

gressio legis divinæ æternis vindicatur pœnis, nec inulta unquam evadit, nec patitur. Nostra vero aliud in cornu gerit: Nam pœnarum non solummodo expers, sed & quatenus permissa, ceu laudabilis fuit. Pœnis hujus assentatores liberati fuerunt, quia secundum legem faciebant, & qui secundum tales legem facit, etiamsi non per omnia bene, tamen impune fecisse putandus est. Permissi fuerunt sic grassari, ut cum pax publica inde turbaretur, subditi Rege & regno denuo constituto, leges & Magistratus revereri, Maximique habere discerent. Verum nec omnino illaudabiles erant hi Exleges, quoniam non solum secundum supra nominatam legem vixerunt, sed & per illam injuriam, qvæ tum exercebatur, tantam cupiditatem plebejorum animis de Magistratu novo creando injecerunt, ut illa expleta, majore deinde honore Reges suos

suos prosequi oblique hortarentur  
quia qvo cupidius aliquid efflagita-  
tur, eò etiam magis obligat aliquem  
sui esse addictissimum, cum omnis ob-  
servantia & reverentia non solum ab  
eo, qvi potestatem imperandi ha-  
bet, verum etiam ab eo, qui illam  
agit & exhibit qvodammodo de-  
pendeat. Itaque quantumvis Ano-  
mia hæc obligationem aliquam  
formalem præ se non ferebat; prin-  
cipia tamen sibi politica vendicat,  
in quantum reliquis civilibus Persa-  
rum institutis est anumerāda, adeoq;  
sic definiri potest. Anomia erat  
Lex permisiva, secundum qvam  
Persis quinque duntaxat dierum  
spatio concedebatur Rege defuncto  
sine lege vivere; & omnes inju-  
rias in suos invicem exercere; ut  
pace publica sic relegata, majori  
flagrarent cupiditate, Magistratum  
novum deinde constituendi, qvo  
adepto, prior recuperabatur tran-  
quil-

quillitas , & necessitas Magistratus absoluta, infallibiliter indigitabatur.

§. III.

Verum, ne Anomia! hæc permagnam noxam & calamitatem impotaret Reipublicæ ( quoniam tum pro lubitu & impune qvævis flagitia exercebantur ) qvinque, ut dictum, tantum dierum fuit, qvi- bus elapsis aliud iterum proclamatum fuit mandatum, omnem istam priorem indultam licentiam removens, eoque magis, qvoniam Rex jam tum alius potissimum per successionem, aliquando vero per electionem declaratus, non promiscuè cuiquam postea ad ingenium suum magis vivere permisit, sed Regio edicto, qvod violare nefas est, sibi parere coëgit. Notum enim est, cum homines sine lege feruntur, nec certo aliquo præcepto sunt addicti, eos tum facile aberrare & qvasvis injurias exercere ; &

po.

7  
posito si lex civilis esset, tum, quaten⁹  
sibi relicta consideratur, non adeo  
efficax est, ut obliget aliquem, quam  
tum, cum necessitas ejus ab alio  
aliquo potestatem imponendi ha-  
bente ponitur; quia metus pœnæ  
quantum Reipublicæ prodest cu-  
vis patet. Hoc itaque cum de-  
stituti Persæ intra quinque dies fu-  
erunt, tum facile conjici potest,  
quod periculum unicuique aderat,  
nam opibus, quibus Persæ plerum-  
que abundabant, per latrones spoli-  
abantur, quas quoque defendere si  
quis aggressus est, tum periculum  
vitæ instabat, cum latroni incon-  
gruum non videretur, resistentibus  
etiam quandoque necem accelerare.  
Et quoniam omnia hæcce flagitia  
hic impunita manebant, tunc lex  
illa Persarum de Anomia, eo iterum  
respectu vituperanda potius, quam  
laudanda erat; quia si omnes ejus  
exitiales incommoditates ducere-  
mus in apricum, eæ sane ne anslam

qvidem id dubitandi accuratius insipienti porrigerent, sed acriter defensorias tuerentur partes, supra dictæ assertionis.

### § IV.

Hanc sententiam seständam quoque esse jure arbitraremur; verum quoniam varii hic dari possunt conceptus, acquiescimus in verbis interpretis Pindari ex Antiphone citatis.

*Νόμος ἐπεθαυ τοῖσιν ἐγχώροις καλῶν*  
id est:

*Leges suis regionibus proprias seqvi pul-*  
*crum est.*

Itaque si ad rectam judicii lancem omnia perpendantur, tum laudibus quodammodo extollenda hæc Anomia Persarum videtur; & cum finis plerumq; utilitatē vel inutilitatem rei alicujus arguat, tum scopum Persarum laudabilem hoc in negotio fuisse invenimus, qvia per talem tu-

*muli-*

9

multum, exleget vitam & confusio-  
nem, qvæ post Regum obitum o-  
riebatur, hortati sunt cives secum  
librare, qvam urile esset reipubli-  
cæ certum moderatorem habere,  
qui habenas plebi, qvæ est quasi  
bellua multorum capitum, impone-  
ret, ne cuique ad placitum suum,  
iniqva opinione recepta, vivere li-  
ceret. Et qvamvis nocumentum  
aliqvod Anomia illis attulit, tamen  
opibus elati Perſæ, parvam non re-  
cusabant, cum & majora pro im-  
peratoribus aggredi pericula illis  
in more fuisse, monumenta antiqui  
seculi passim memoriae consecra-  
runt. Præterea si periculum ho-  
mini privato in tali casu præstò e-  
rat, adeo non fuit insolens & mi-  
rum, qvoniam civis in civem, imma-  
ni crudelitate dum fræna solvebat  
licentia, per exiguum tempus fer-  
ri potuit, ut longior dein publici  
status securitas damnum compen-  
saret illatum.

Hic injuriojus viderer, si o-  
ptimam occasionem dicendi de re-  
verentia Perlarum erga Magistra-  
tum suum præterirem, præsertim  
cum gentis hujus tanta veneratio  
tantus amor & cultus erga Magi-  
stratum suum extitit, ut fere ulli na-  
tioni, nomen Regis sanctius Au-  
gustiusque facile reperitur fuisse.  
Patet enim Reges suos non capite  
rantum inflexo, sed prostrato hu-  
mi quoque corpore salutasse; quam  
ob causam invectus in veneratio-  
nem illorum Sallustius sic procla-  
mat: *Se Regibus devovent, & post eos*  
*witam refutant, adeo illis ingenita est*  
*sancitas regii nominis.* Hanc quoq;  
venerationem ulterius laudandam  
jure mihi præsumerem, cum &  
Magistratus Dei nomine passim in  
Scriptura Sacra insignitur, nisi sci-  
am eam rem omni: carere dubi-  
tatione. Mira præterea fuit apud  
omnes

omnes alias fere gentes cultus Regum ac Imperatorum, quos velut vivas DEI Imagines adeoque vicarios DEI adorabant, singularique pietate venerabantur. Hoc in sensu Darii Prætor Artabanus apud Plutarchum in Themistocle sic loquitur: ἡμῖν δὲ πολλων νόμων καὶ λῶν ὄντων κάλλιστος γένεται εἰς τιμᾶν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν ἐπιθύεις θεῖς. Ex hisce videtur Regem imaginem Dei vivam appellasse; quam sententiam remissiorem Plinius sic proponit: *Principem datur DEUS, qui erga humanum genus vice sua fungatur.* Si alias in specie Gentes ob oculos ponamus, inventimus apud Ægyptios quoqu hanc reverentiam fuisse, ut non solum tabernaculum Regis, aut ipsam regiam (eadem quippe ratio est utriusque) Sed nec summi copiarum Ducis, quisquam audebat ingredi; cuius rei luculentum Historia Sacra exemplum in Holoferne

tra-

tradit, Judith. Cap. XIV. Ita apud  
Medos quoque Dejoces edicto san-  
xit ne qvis regiam intraret, nisi  
vocatus; neque Rex se conspicien-  
dum popularibus dabat. Præterea  
cautum erat, ne quis in regia spue-  
ret, vel qvicqvam faceret qvod pu-  
blice non deceret. Hi ut & alii cul-  
tus sua aliquatenus initia Imperato-  
rum Divinitati debent; sicut inter  
alios ex Sardanapalo & Smerdi li-  
qvet, qvi, exceptis aliis causis, po-  
pulum à conspectu arcebant, cum  
propter Majestatem regiam, ut hu-  
manæ sortis fastigium superasse vi-  
derentur, & instar Numinum cole-  
rentur; tum ut securius viverent;  
qvorum vita multorum invidiæ,  
insidiis, ambitioni, indignationi &  
odiis obnoxia & objecta erat..  
Hanc sui divinam observantiam suc-  
cessoribus adeò dederunt, ut longo  
temporis tractu vix eradicari qvive-  
rit; etiam aliis, religione eadem, re-  
gio-

gionibus arunt, qvam ob cau-  
sam & Billibitanus Vates Phaleucio  
hos mores alludit de Trajano de-  
cantans:

*Frustra blanditiæ venitis ad me  
Attritis miserabiles labellis,  
Dicturus Dominum Deumque nos-  
sum*

*Jam non est locus hac in urbe orbis  
Ad Parthos procul ite pileatos  
Et turpes humilesque supplices.  
Pictorum sola basiate Regum,  
Non est hic Dominus sed impe-  
rator.*

Hic ex occasione pariter vene-  
rationem summam connotare & e-  
jus indagare rationes potuisse in  
hisce populis, videlicet Arabibus, Sol-  
duriis, Erytrhensibus & Lacedæmo-  
niis, qvorū alii plurimos habuerunt,  
qvi detuncto Rege se quoq; neci de-  
derunt, alii nonnullos alebant una et-  
iam cum Rege viventes & moriētes;  
alii deniq; nihil per triduum ven-  
debant, sed forum conspergebatur  
palis

palis, aliisque rebus, Regium luctum  
& calamitatem inferentibus. Verum brevitati litans iis supersedeo  
& acquiesco verbis Tertulliani ex  
Christianae gente nobilissimi & anti-  
qvissimi scriptoris, cui sententiæ nos  
quoque adhæremus: *Colimus Imper-  
torem sic & quomodo nobis licet, & ipsi  
expedit, ut hominem à DEO secundum,  
& quicquid est à DEO consecutum &  
solo DEO minorem.*

### §. VI.

Verum ne permultum extra  
limites spatiemur justos, ad propo-  
situm erit revertendum. Dictum  
fuit Anomiam supra memoratam  
mortuo Rege apud Persas volun-  
tario suisle suscepitam, at si oculos  
alio vertimus, tum insigni quoque  
jactura, Imperia, tali in casu vexari  
plerumq; invenimus. Hujus ratio-  
nem si exigere volumus exquisitis-  
simā, habebimus ex ipsa experientia,

qvæ

qvæ ostendit qvas exitiales incommoditates Regum obitus Republicæ plerumqve importent. Verum quidem est, qvædam Imperia aliquando extinto Rege mutari posse in meliora, ast ex rebus futuris contingentibus, fundamenta rei statuendæ ponere argumentum, reputatur valde esse invalidum. Hic plurima exempla proferrem, verum cum notiora esse possint, festinatio ad alia heic occurrentia progredi jubet.

### §. VII.

Hic itaqve vel in tali statu post mortem Imperatoris, deporandam esse magis illorum conditionem, qui in Regno electivo, qvam successivo degunt, rectissime existimant politici, qvia ubi certus est Hæres regni constitutus ex jure sanguinis, ibi exulant, Rege priore rebus humanis exempto, omnes æmulatio-

nes,

nes, spes occupandi Dominatus, & Interregnorum periculosa fata; præterquam qvod cuivis Reipublicæ ubi modo unus imperare debet, maxime conduceat, si Imperatores & Reges filiis ex se natis gubernacula imperii tradunt. Hoc enim, missis aliis ~~soñm~~ paterna urget, qvæ propriis semper meliora qvam peregrinis tribuenda esse monet; hoc incitamento accuratius sceptrum Imperii tenent, magisqve regnum opibus, honoribus legibusqve sanctissimis ornare satagunt. Ipse princeps, cui per nativitatem Imperium accedit, in regium solium ascendens, regnum jure hæreditatis suum majori nisu defendit. Quantum denique ad Cives securius qvoqve semper hi vitam agere cautiusqve sua obire negotia putantur, si certo Regi per successionem obligantur, qvam si incertitudine Magistratum vecti, dubias suis rebus stauerent metas.

### §. VIII.

Verum si paginam vertimus, Interregnum ubi electivum est, ibi multorum Imperiorum formas esse mutatas corruptas, imo saepius eversas experientia declarat. Ut jam alia præteream, innotescit id abunde ex tumultibus hodiernaque jactatione Regni Polonici; scilicet tali in Reipublicæ statu studium favor & pecunia plurimum valent; omnino autem hæc, quam efficax sit ad animos sibi conciliandos, eò minus mihi declarandum propono, cum satis notum sit vim ejus esse maximam.

### §. IX.

Ex omni ergo jam parte liquet melius esse evitando Interregna, ut Patri Regi filius Princeps succedat, quam ut aliis eligatur Rex. Hic mos ut in consuetudinem apud maximam partem gen-

tium, antiquis abivit temporibus,  
imo & per impositionem ipsius  
DEI apud Judæos plerumque su-  
um obtinuit vigorem, ita Persæ  
qvoque si ejusdem non fuissent par-  
ticipes, haud bene sibi consuluisse  
videbantur. Catalogus Regum  
illorum clare ostendit Regem u-  
num ex Rege natum alteri succe-  
sse, & id quamdiu familia regia  
aliquem idoneum ad regnum sup-  
peditavit administrandum, qva dein  
familia extincta necesse fuit aliam  
ad stabiliendum Imperium qværere  
viam, qvâ inventa idem ad poste-  
ros processit. Hinc ergo fluit ve-  
neratio illorum erga suos Reges;  
hinc illud qvod Anomia apud illos  
fuerit recepta; immò si venia conjectu-  
ræ est, Anomia hæc, nihil plerumq; a-  
liud fuit qvam signum ingentis cu-  
jusdam doloris & planctus propter  
Regis obitum instituti. Qvod qvin-  
que tantum dierum fuerit, hæc  
pariter dari poterit ratio, qvod si-

cu-

cuti aliæ nationes ac gentes aliquando præscriptos tristitiae terminos habent, sicuti apud Israelitas quoque luctuum dies certi in memoriam clades alicujus gravioris sunt observati, Ita etiam quinque diebus definita Anomia Luctus speciem, præter alias connotationes habuerat.

Hic subsistendum esse hac vice jubar instituti ratio, Imperioque maxime gratulamur Sveo - Gothico, quod sicut: laus DEO est successivum, sic etiam & interregnū nescit, quin immo omnem Anomiam vel ob REGIS NOSTRI INCOMPARABILIS CAROLI UNDECIMI & MAGNI obitum, vel alias prorsus ignorat; quantum vero unumquemque Civium, tristissima illa clades premat, nec verbis exponi, nec cogitatione quis aseqvi unquam poterit. Erigit autem se spes cunctorum in REGE No-

20

NOSTRO CAROLO DUODECIMO , qvi qvemadmodum est CAROLUS ex CAROLO, ita quoque NOMEN & OMEN habet. Restat ergo ut fatis & imperio EJUS æternitatem apprecedemur, dicentes:

VIVAT ET È NOSTRIS,  
CAROLO, DEUS  
augeat annos !!!

